

aliis, pretium statuere videtur, quod in toto Codice N. T. nullum ad librum Veteris instrumenti, vel crebrius, vel libentius, provocavit, quam Psalmorum. Iidem igitur Psalmi jam olim in Ecclesia, Judæorum pariter ac Christianorum, perpetuo resonabant. Jam enim a Samuele, Davide, Nathane, aliisque instituti erant cantores, qui ad Sacra publica Psalmos canerent, Christumque ipsum una cum discipulis a cœna Paschali hymnum cecinisse, *Matthæus c. XXVI, 30.* testis est. Solebant enim Judæi in Festis solentioribus, peracta cœna, poculum, quod ποτήριον ὑμνήσεως dicere consueverant, circumferre, & interea temporis Psalmos Davidicos, quorum initium est Halleluja, h. e. VI. interjectos inter *Pf. CXII. & CXIX.* prout *PAVLVS*, Episcopus Burgenfis, (c) tradit, cantare. Atque ut in horum locum Christiani successerant; sic jam in Corinthiaco cœtu insignem Psalmorum usum fuisse, ex *1. Cor. XIV, 26.* discimus. In Sacris vero celebrandis usque adeo regnabant, ut seu mane, seu vesperi convenirent, canerentur Psalmi. Unde olim in *matutinos & vespertinos* distinguebantur, quod ex *Constitutionibus Apostolicis (d) & Cassiano* liquet. (e) Hac ipsa de causa divus *AMBROSIVS (f)* graviter objurgat eos, qui diem non a Psalmis, sed helluationibus & poculis, ordiantur: *Væ, inquit, illis, qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conveniebat DEO laudes referre. - - Hymni dicuntur, (a piis nempe ac sobriis,) & tu citharam tenes: Psalmi canuntur, & tu psalterium sonas, aut tympanum. Merito væ, qui salutem negligis, mortem eligis.* Denique Veteres non modo suis in Sacris canere Psalmos, sed etiam a tenera ætate, pueris juxta & puellis, instillare consueverant.

Quum

(c) in *Pf. CXIII.* (d) *L. II. 69.* (e) *L. II. Inst. c. 5.* (f) in *Lib. de Helia & Jejunio c. 15. T. IV. 00. ed. Froben. f. 509.*